



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis  
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus  
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,  
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

**Raemond, Florimond de**

**Coloniae Agrippinae, 1655**

III. Etiam Turcae Psalmos decantant.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10880**

non recenseo. Nam si priuatorum hominum actiones persequi & omnium istorum abusu catalogum contexere vellem, tempus me prius quam materia deficeret. His igitur omissis, de cantionibus præcipuo Religionis illorum exercitio, non nihil dicemus.

DE PSALMORUM CANTU, QUO  
Caluinista multos initio seduxerunt.

CAPUT XIV.

ARGUMENTUM.

- I. Psalmi Davidici apud omnes populos, qui aliquam Dei habent cognitionem, in pretio habentur.
- II. Psalmorum decantatio à Pontificibus certis quibusdam regulis constituta.
- III. Etiam Turba Psalmos decantant.
- IV. Vt & omnes hæretici, exceptis Anabaptistis.
- V. Populus Psalmorum cantillatione ab hæreticis infectus.
- VI. Primorum Lutheranorum & Calvinistarum consuetudo.
- VII. Mos decantandi Psalmos in Catholica Ecclesia.
- VIII. Psalmi à novis Evangelicis profanati.

**O**Mnes populi ac nationes, quæ vllis ceremonijs aut religionis forma Deum coluerunt, sacris illis cantibus ac Psalmis à Spiritu S. regio Prophetæ Davidi dictatis semper vsæ sunt. Hos Iudæi increduli adhuc decantant, eodem modo quo antea in templo Salomonis. In Christiana Ecclesia preces, eæ præsertim quæ Clericis in vsu, Psalmorum verbis concipiuntur. Horas illas Canonicas ab initio Ecclesiæ ab ipsis Apostolis vsurpatas vti est in Actibus in ordinem exactiorem Damascius restituit per S. Hieronymum & S. Ambrosium, vt notat in Chronologia sua Genebrardus. Hoc cantu Latina lingua concepto, Catholice Ecclesiæ templa, concinna & suaui harmonia semper personuerunt. Quia etiã ceteris hominibus somno sepultis, bis centena per Christianum orbem, circiter Religiosorum millia, noctis silentium rumpunt, diuinos hos Psalmos decantando. Eosdem Christiani omnes tam ad publicas quam priuatas preces adhibent. Græci, Armenij, Maronitæ, Syri, Iacobitæ, Moscouitæ & alij

populi à Græca dependentes Ecclesia, Græcalingua eosdem decantant, non autem vulgari: ut & Meridionales Christiani, Æthiopes, & Abyssini, magno illi Negus, quem nos Presbyterum Joannem appellamus, subiecti.

II. Hoc idem Plinius secundus in epistolis suis ad Troianum de Christianis perhibet: eos nimirum Deo suo, quem Christum vocent, ante lucem laudes decantare. Sanctus Chrysostomus, Nihil inter Christianos frequentius audiri dicit quam Davidis Psalmos. In omnibus Ecclesia precibus, Davidem principium dare, medium & finem. Unde facile erroris conuinci possunt qui ritus huius Psalmos decantandi Cœlestinum Papam auctorem faciunt, qui anno CCCC. Sedem tenuit. Gregorius quidem Papa statuit, ut Clerici soli Psalmos in diuinis officijs decantarent, ad evitandã confusionẽ, qua sæpe accidit, populo unã cum sacerdotibus canente. Hic Pontifex ille fuit cognoimento vere Magnus, etiam Lutheri & Calvini confessione; quem Deus scitavit ad diuina reformanda officia, & pulchrum illum ordinem quem adhuc in Ecclesia videmus, constituendum, qui antea ob continuas Gothorum, Visigothorum, Wandalorum & aliorum hæreticorum, qui venenum suum in Christianam Rempublicam effuderant, invasiones ac turbas totus erat confusus.

III. Musulmani etiam sive Turcæ, quorum religio multa habet à Christianis & Judæis accepta, in cœtibus suis Psalmos hos Sergij apostolæ, Mahumetis collegæ opera traductos, Arabica lingua decantant: ut & Persæ, Æthiopes, & Arabes. Fateatur enim pseudo propheta ille & impostor maximus XII. Azore Elfurcani sui, Psalterium Davidi cœlitus missum esse. Vocant vero Orationem Meridionalem, cuius usum quotidianum Mahumetes omnibus bonis Musulmannis mandavit. Alij Septentrionales populi qui sub magni Chami imperio vivunt, eosdem Psalmos in magna habent veneratione. Ut paucis complectar, in omnibus terrarum partibus diuinæ laudes Davidis barbitò decantantur. Quemadmodum vero omnes medicamentis faceratis utuntur, non tamen omnes eorum effectus sentiunt: sic multi quidem Davidicorum Psalmorum dulcedinem degustarunt, nec tamen eorundem verum intellectum, & quæ inde proficiscitur salutem perceperunt.

IV. Ad hæreticos quod attinet, nemo umquam tam maliciosus ac perversus fuit qui diuina hæc Cantica rejicere ausus fuerit, præter solas Anabaptistas, qui